


Suum aliqua ratione habent, ut est matricis suffocatio, epilepsia, vertigo, incubus melancholicus affectus omnis, quem comitantur malae cogitationes, tristitia atque timiditas sine causa manifesta, obliuio, saltus, tremor, aut insaniae quedam species, qualis in spasticis, seu iis qui dæmonium quasi habere videntur, aliquando obseruamus. Mirificum quoque antidotum est contra febres omnes intermitentes atque erraticas, contra neruorum tensiones, vermium luxuriem. Seminaria enim horum morborum mirifice absunit, spiritusque vitales, humidumque radicale, seu vi-  
tæ subiectum, summopere reficit atque præseruat, & propterea in præcauendis morbis summopere quoque commendatum est medicamentum. Si stomachus acribus oppressus humoribus syncopen induxit, unguentum pro eo fiat ex oleo rosarum, cydoniorum, myrtorum. Si post purgatorium medicamentum, syncope irruat: Rx theriacæ nouæ 3 iiij. aut si antiqua sit, addantur gr. ij. opij, vini generosi 3 iij. detur unica vice. Odoramenta naribus ne-  
quaquam offerantur, si à præfocatione matricis syncope fiat: alio-  
qui vero licebit.



### *Methodus pro cognitione*

## **G H O L E R Æ I N S E R -** **V I E N S.**

**C**HOLERÆ, est immodica ventriculi intestino-  
rumque perturbatio, in qua supra infrâque mali-  
gnorum humorum fit eruptio. Usque adeò autem ve-  
hemens frequenter est hoc malum, ut uno atque altero  
die ferè sine febre, vel saltem paucis diebus hominem  
è medio tollat, per vomitum atque secessum effusa cor-  
poris substantia; tanto enim impetu deiectione hic sæpe  
fit, ut etiam spirituum multitudo vna cum humoribus  
expellatur, unde fitis, cordis tremor, viriumque languor,